DECAS
PELVIUM SPINARUMQUE
DEFORMATARUM
CUM ANNOTATIONIBUS NONNULLIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

ANATOMICO-OBSTETRICIA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XVII. MENS. MART. MDCCCXVIII

H. L. Q. C.

SINE PRAESIDE

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES LUDOVICUS CHOULANT

DRESDANUS,

MEDICINAE BACCALAUREUS.

TYPIS EXCUSUM IN TYPOGRAPHEO AULICO ALTENBURGENSI.

dominis atque pelvis ratio et conformatio, quaenam nervorum vaforumque diftributio, quinam mufculorum dorfi fitus, quaeque infertio, quaenam ligamentorum offiumque ipforum natura et multa hujus generis alia. Facilior, fi ejusmodi disquifitiones non nimis neglectae hucusque fuiffent, nunc in ejusmodi deformationum caufam proximam effet inquifitio, facilior inventu foret curationis via ac methodus, facilius prophylactica, quae hac in re fummi momenti eft, cura conftitueretur. Sed ejusmodi indagatione neglecta fummus inter anatomicos ortus eft de origine deformationis diffenfus, num fcilicet offa primum aegrotarent, an ligamenta, num musculorum aequilibrium perturbatum ei anfam praebeat, an vaforum decurfus abnormis primaria fit deformationis caufa. Nullum fimul dubium est, quin accuratiori corporum ejusmodi deformatorum examine medullae fpinalis et phyfiologica et pathologica dignitas melius cognofcatur. Ii igitur, quibus diffectio cadaveris ejusmodi deformati conceditur, praeclaram doctrinae hujus augendae occafionem effugere ne finant! Hoc modo fimul anatomiae pathologicae optime confultum erit, quae, tanquam totius medicinae practicae fundamentum, me-

rito aliam poſtulat viam, aliam methodum, quam illam, qua hucusque tractatur. Non enim tantopere intereſt ſcire, qua ratione hoc vel illud ſingulum deformetur organon, ſed quaenam deformationes *ſimul* in uno cadavere conſpiciantur, quaenam varietates aliis varietatibus ſe aſſocient, quaenam ratio ſit ejusmodi aſſociationis, quaenam conjunctio ſit deformitatum cum morbo praegreſſo. Nunquam autem hanc metam, quae tamen unice anatomiae pathologicae digna eſt, attingemus, ſi cadaveris ſectionem abſolutam eſſe tunc putamus, cum, ut loqui ſolent, cauſam morbi invenerimus, ſi nihil quaerimus, quam rariores varietates, tumores inſolitos, monſtra etc., ut has res in muſeo anatomico repoſitas gloriantes oſtendamus curioſis. Neutiquam! omne cadaver vita quondam fruebatur, organismus erat, et id quidem per ſingulorum organorum concentum intimamque eorum inter ſeſe relationem. Nunc quoque cum vitalis aura deceſſerit, cum haec virium diverſarum area tranquilla jaceat et otioſa, conſiderandum eſt corpus tanquam *unicum* quoddam phaenomenon, variis partibus, olim actione, nunc figura, inter ſe conſpirantibus conſtans; omnes igitur corporis defuncti partes, quam diligentiſſime id

ſieri poterit, ſunt perſcrutandae, neque vero abnormitates ſolummodo aperte in oculos incurrentes, ſed eae quoque, quae reconditae magis ſunt et quas anatomica ſolum invenire poterit ſolertia atque exercitatio. Ejusmodi ſectio pathologica nomen hoc merito geret et digna erit, quae literis poſteritati mandetur, ejusmodi ſectionum ſumma ſide et diligentia inſtitutarum collectio digna erit continuatio immortalis Morgagnianae lucubrationis, quam „de ſedibus et cauſſis morborum" inſcripſit. Sed alii prorſus loco et tempori haec ſunt relinquenda. Redeo ad illa, quae huic digreſſioni anſam praebuere.

Ex collectione anatomico-pathologica ſcholae obſtetriciae Lipſienſis deſumpta ſunt exempla, quorum deſcribendorum veniam meritiſſimus hujus inſtituti director, Exp. Ioerg, ea, qua bona ſtudia promovere ſolet, liberalitate mihi conceſſit. De ea autem, qua uſus ſum, deſcriptionis ratione, pauca mihi ſunt praemonenda. Voces: *ſcolioſis*, *cyphoſis*, *lordoſis*, conſueto modo adhibui, ita, ut prima ſit curvatura ſpinae verſus hoc illudve corporis latus, ſecunda retrorſum, tertia antrorſum ſpectans. *Scolioſis dextra* mihi ea eſt, cujus convexitas dextror-

ſum ſpectat. Vertebras columnae ſpinalis ita numeravi, ut atlas mihi prima ſit vertebrarum colli, epiſtropheus ſecunda et ſic porro, infimam autem vertebrarum colli (ſeptimam) vertebra dorſi prima excipiat. Infima vertebrarum dorſalium duodecima eſt, quam ſuprema ſeu prima vertebrarum lumbalium ſequitur.

Dimensionum pelvis haec est ratio:

Diameter magna pelvis: ſpatium lineare inter ſpinam ilei anteriorem ſuperiorem utriusque lateris.

Diameter recta aperturae ſuperioris pelvis (conjugata): linea ducta a media parte promontorii ad marginem ſuperiorem ſymphyſeos pubis.

Diameter recta aperturae mediae pelvis: a media parte conjunctionis ſecundae et tertiae vertebrarum ſpuriarum oſſis ſacri ad dimidiam partem altitudinis ſymphyſeos pubis.

Diameter recta aperturae inferioris pelvis: ab apice coccygis ad inferiorem marginem ſymphyſeos pubis.

Diameter transverſa aperturae ſuperioris pelvis: utrinque a media parte circuitus lateralis lineae innominatae.

Diameter transverſa aperturae mediae pelvis: utrinque a media parte planitiei internae oſſium iſchii.

Diameter transverſa aperturae inferioris pelvis: ſpatium lineare inter tubera iſchii.

Diameter obliqua dextra aperturae ſuperioris pelvis: a ſynchondroſi ſacro-iliaca dextra ad eam partem lineae innominatae, quae acetabulo ſiniſtro reſpondet.

Diameter obliqua ſiniſtra aperturae ſuperioris pelvis: a ſynchondroſi ſacro-iliaca ſiniſtra ad eam partem lineae innominatae, quae acetabulo dextro reſpondet.

Ceterum lectores aequos rogatos eſſe cupio, ut hanc lucubrationem, quam commendare quidem nulla alia ratione poſſum, quam quod fida ſit et naturae congrua relatio, benevole accipiant, quod ſi contigiſſe intellexero, ſecundam ejusdem argumenti decadem publici juris facere non haeſitabo.

CAPUT PRIMUM.

DESCRIPTIO PELVIUM ET SPINARUM DEFORMATARUM.

1. Scoliosis dextri lateris cum exigua cyphosi. A quarta inde lumborum vertebra usque ad undecimam dorsi spina vertebralis concavam ostendit versus dextrum latus curvaturam, ab hoc puncto autem vehemens versus dextrum latus convexitas incipit et a sexta colli vertebra in rectam lineam spina revertitur. Costae dextri lateris ita contortae sunt, ut earum posterior extremitas ipsique costarum anguli pone spinam vertebralem cernantur. Sinistri lateris costae marginibus suis se invicem fere tangunt, extremitates autem anteriores costae octavae ac nonae in sinistra pelvis majoris parte conspiciuntur. Pelvis universa formatio sat regularis est. Os sacrum vero naturalem magnitudinem non attingit, utrinque instructum est foraminibus sacralibus quatuor; anterior ejus superficies non, uti par est, concava sed convexa, posterior superficies concava, pars dextra ossis angustior paulo et magis elevata, quam sinistra. Symphysis pubis paululum versus dextram pelvis partem conversa. Apertura pelvis inferior admodum ampla. Spinae ossium

ifchii 48 lineas a fe invicem diftant. Arcus pubis femicirculum fere repraefentat.

II. Pelvis et fpina rhachitide affecta. Spina vertebralis recta fere linea afcendit, convexitatem admodum lenem verfus dextrum latus et verfus pofteriora oftendit. In feptima, octava ac nona cofta dextri lateris fracturae bene fanatae veftigia confpiciuntur. Superior pelvis apertura trianguli fere ifofcelis fpeciem refert, ita ut bafis trianguli in pofteriore, crura in lateralibus cernantur regionibus. Os facrum vehementer verfus anteriora excavatum eft, ita ut in tertia vertebra fpuria fuperior et inferior offis pars in angulum convenire videantur; os coccygis admodum verfus anteriora dirigitur. Superior fymphyfeos pubis margo altitudine promontorium dimidio pollice fuperat (pelvi ita in planum horizontale collocata, ut fpina vertebralis naturalem circiter habeat directionem et tubera ifchii planum tangant), quo fit, ut inclinatio pelvis oppofita feu negativa hic diftincte confpiciatur. Arcus pubis fingularem in modum rhachitide deformatus eft et ita anguftus, ut eo in loco, ubi in tubera ifchii tranfit, linearum 19 fpatium non excedat.

III. Scoliofis vehemens verfus dextrum latus. Convexitas a decima usque ad tertiam dorfi vertebram confpicitur. Pelvis admodum deformis eft, finiftra ejus portione magnitudine dextram fuperante, fymphyfi pubis verfus dextrum latus converfa. Os innominatum finiftrum magis in

posterioribus collocatum est quam dextrum. Ossa ilei admodum exiguam inclinationem habent. Acetabula fere evanuerunt, cum in dextro latere coxalgia videatur, vel abscessus lumbalis adfuisse. Foramina ovalia admodum magna. Os sacrum obliquam, sicut universa pelvis, directionem habet, ita ut infra versus dextrum latus spectet; concavitas ejus a regulari forma non recedit: ceterum, sicut omnia hujus pelvis ossa, tenuis admodum est structurae.

IV. Scoliosis exigua versus dextrum latus a prima lumborum vertebra usque ad tertiam vertebram dorsi. Apertura pelvis superior fere triangularis. Os sacrum non exiguo modo curvatum, praesertim versus inferiora. Inclinatio pelvis admodum exigua. Hanc pelvim masculam esse opinor.

V. Scoliosis magna ad dextrum latus cum cyphosi. Inferior spinae vertebralis portio usque ad nonam dorsi vertebram concavitatem format dextrorsum spectantem. Haec autem vertebra simul extremum convexitatis in parte dextra punctum est, ita ut octava dorsi vertebra paululum jam versus mediam corporis lineam tendat; et quarta dorsi vertebra in hac ipsa linea conspiciatur. Ab hac vertebra spina recta linea ascendit. Costarum dextri lateris extremitates posteriores pone spinam retortae. Processus xyphoideus sterni ante secundam lumborum vertebram collocatus non amplius quam 12 linearum spatio ab illa distat. Symphysis pubis promontorio non e diametro opposita, sed ad

dextrum latus paululum conversa. Arcus pubis admodum excavatus; os sacrum valde curvatum, foramina ovalia magna, inclinatio pelvis normalis.

VI. Acetabulum lateris dextri abscessu plane consumtum, ita ut femoris caput multo altius in externa ossis ilei superficie conspiciatur. Symphysis pubis versus sinistrum latus conversa. Os sacrum valde curvatum.

VII. Tertia, secunda et prima lumborum vertebra et duae infimae dorsi invicem omnino concretae sunt atque cyphosin puram constituunt, ita ut sub angulo fere recto conveniant cyphoseos portio superior atque inferior. Symphysis pubis promontorio plane opponitur et pelvis obliquitatem nullam ostendit. Os sacrum magnum, leniter curvatum, utrinque foraminibus quatuor sacralibus instructum. Foramina ovalia magna sunt. Inclinatio pelvis non exigua. Femora valde divergentia.

VIII. Scoliosis magna dextri lateris cum cyphosi, a suprema lumborum vertebra incipiens et in secunda dorsi vertebra evanescens. Costa nona sinistri lateris cristam ossis ilei sinistri attingit, costa octava et septima admodum arcte sibi invicem ac nonae incumbunt. Os sacrum non admodum curvatum. Ossa ilei inclinationem habent exiguam et ad rectam magis lineam accedunt. Pelvis obliquitatem nullam ostendit. Arcus pubis angustior et acutus.

IX. Scoliosis magna dextri lateris cum cyphosi, a secunda lumborum vertebra incipiens, ita ut inferiores lum-

borum vertebrae concavitatem dextrorſum ſpectantem exhibeant. Extremum convexitatis dextrorſum ſpectantis punctum octavam dorſi vertebram obtinet, ſecunda dorſi vertebra finem ſupremum ſcolioſeos conſtituit. Coſtae dextrae extremitates ſuas poſteriores pone ſpinam retortas habent, ceterum intervalla inter ſe (ſpatia intercoſtalia) ampla atque aequalia relinquunt, coſtae ſiniſtrae vero arcte ſibi invicem incumbunt. Os ſacrum mediocriter curvatum eſt. Pelvis dextra pars amplior ſiniſtra. Arcus pubis rite formatus.

X. Spina cum oſſe ſacro, reliquis pelvis oſſibus deficientibus. Os ſacrum ſatis magnum, utrinque aequaliter formatum; ſed absque omni concavitate verſus anteriora, ita ut anterior ejus ſuperficies plana ſit. Promontorium nullo modo verſus anteriora inclinatum, ſed ita formatum ut loco promontorii convexitas quaedam ad ſuperiora adſit. Inferior oſſis ſacri extremitas cum coccyge regulari modo verſus anteriora dirigitur. Inde ab extremitate oſſis ſacri ſuperiore, quae ad poſteriora et ſuperiora ſpectat, infimae tres lumborum vertebrae horizontaliter ad poſteriora tendunt, et haec ſpinae pars ita decurrit, ut anteriores vertebrarum ſuperficies ad ſuperiora ſpectent, lenem ad ſuperiora convexitatem formantes. Vertebra undecima et duodecima dorſi, prima et ſecunda lumborum in anteriore parte fere evaneſcentes, in poſteriore maſſam irregularem formant, in qua nil niſi proceſſus ſpinoſi diſtingui poſſunt. Inde a proceſſu ſpinoſo vertebrae dorſalis infimae ſpina vertebralis

recta linea afcendit, perexiguam folummodo, per totam fere fpinam decurrentem et leniter in vertebris colli evanefcentem convexitatem verfus dextrum latus formans Infimae duae dorfi vertebrae et fuprema lumborum, quas concretas in unam maffam effe paulo ante dixi, proceffus laterales et foramina intervertebralia diftincte oftendunt, minori tamen, quam par eft, magnitudine. Haec fpina ergo exemplum reprefentat cyphofeos lumbalis vehementiffimae (nam rectum fere angulum tertia lumborum et decima dorfi vertebra inter fe formant) et puriffimae *).

CAPUT SECUNDUM.

DE DEFORMATIONUM SPINAE DIGNITATE SEMIOTICA IN ARTE OBSTETRICIA.

§. 1. Vetus jam exiftit opinio, cum fpinae curvaturis femper etiam pelvis aliquam deformationem effe conjunctam. Hoc vere plerisque in cafibus fic fe habet, quamvis inde non femper oriatur partus difficultas; fed occurrunt quoque exempla fpinarum deformatarum, cum nulla pelvium deformatione conjuncta, id quod infra clarius videbimus. Recentiffimis temporibus vetus haec opinio conjunctionis inter fpinae et pelvis deformationes, ita reftricta eft, ut tunc

---

*) Iconem hujus fpinae videre licet in egregio Iörgii libro: *Über die Verkrümmungen des menfchlichen Körpers und eine rationelle und fichere Heilart derfelben.* Lpz. 1810. 4. (Tab. I. Fig. 3.)

ſolummodo concedatur, ubi ſimul generalis aliquis oſſium morbus adſit.*) Qua in re nimis factum eſſe et vere aliquam, ſine univerſali oſſium morbo, dari conjunctionem inter utramque deformationem, jam Iörgii de hac re disquiſitiones, ſat numeroſa experientia fulcitae, docent.**) Primo igitur in hanc rem accuratius inquiramus.

§. 2. Omnis iſta oſſea compages, quam ſpinam vertebralem dicimus, et cui jure meritoque os ſacrum quoque cum coccyge adnumeramus, ita conformata eſt, ut et ſingulae ejus partes intima inter ſe ſint affinitate connexae, et omnis corporis formatio atque ſtructura ex illa tanquam ex archetypo pendeat. Habet autem ſpina vertebralis tres in unoquoque corpore curvaturas naturales ſeu potius flexiones, quae leniter tantum a recta linea declinant. Suprema earum antrorſum convexa in vertebris colli conſpicitur; in vertebris dorſi ſecunda, quae antrorſum concava eſt, et in vertebris tandem lumborum tertia, quae rurſus antrorſum convexa eſt. Inferius adhuc os ſacrum cum coccyge quartam efficit curvaturam, verſus anteriora concavam, omnium uti breviſſimam, ita quoque maxime curvam. In hisce

---

*) J. F. Meckel (*Handbuch der menſchlichen Anat.* 2. Thl. §. 750) haec habet: Krümmungen der Wirbelſäule, ſelbſt die beträchtlichſten, haben, wie mich eine ſehr beträchtliche Anzahl von Fällen lehrt, keinen Einfluſs auf die Geſtalt des Beckens, wenn ſie nicht in einer allgemeinen Krankheit, beſonders der Rhachitis begründet ſind.

**) Vige libr. ſupra cit. *Über die Verkrümmungen etc.*

flexuris naturalibus plerumque eas videmus oriri curvaturas abnormes, quae ſingulae ſingulis maxime reſpondent. Hinc ſaepius cyphoſin videmus in vertebris dorſi, lordoſin in vertebris lumborum, oriri quam vice verſa.

§. 3. Si una alterave harum flexionum ſpinae naturalium deformatur et vitioſe curvatur, tunc huic vicina quoque flexura a recta via aberrat, quo facto ſequens quoque perturbatur, quamvis gradus deformationis minor in hac cernatur, quam in illa. Oritur hoc, maxima ex parte ſaltem, ex niſu deformati hominis, erectum, quantum id fieri poteſt, ſtatum conſervandi, ita e. g. vertebris dorſi cyphoſi laborantibus, facies magis ad terram ſpectabit et operam homo adhibebit omnem, ut caput erectum gerat, faciemque attollat; ex hoc niſu autem vertebrae colli convexitatem ſuam antrorſum ſpectantem vehementer augebunt, ſicuti jam antrorſum ſpectans concavitas vertebrarum dorſalium nimis adaucta eſt. Eadem ratione antrorſum ſpectans convexitas lumbaris et concavitas oſſis ſacri augebuntur. Ex hoc exemplo jam elucet prima harum deformationum lex et ratio: *ſi primaria deformitas in eo conſiſtit, ut una e naturalibus ſpinae flexuris adaucta ſit* (uti fit, ſi cyphoſis oritur in vertebris dorſi), *reliquae flexurae naturales omnes vel fere omnes ſimul augebuntur;* unde intelligitur, cum cyphoſi in media vel ſuperiori parte vertebrarum dorſalium conjunctam eſſe debere nimiam oſſis ſacri curvaturam, h. e. illud vitium, quod ab obſtetricantibus „*pelvis nimis curva*" dicitur.

§. 4. Sed aliud nunc idque priori contrarium consideremus exemplum: Sint vertebrae dorsales lordosi affectae (quod in ea deformatione plerumque observatur, quam „*pectus elevatum*" dicimus), hic regularis earum flexio neutiquam adaucta est, sed in contrariam plane partem mutata; nam neutiquam concavitas illarum antrorsum spectat, sed convexitas, ex quo vitio aliud necessario oritur, ut caput et praesertim facies supina jaceat et ad astra spectet. In hoc casu homo omnem operam adhibebit, ut oculos faciemque deorsum dirigat, ut quodammodo saltem obtutus horizontalem directionem adipiscatur; ex hoc nisu autem concavitas antrorsum spectans orietur in vertebris colli, curvaturae naturali plane contraria. Vertebrae lumborum quoque ex dorsalium lordosi malam conformationem patientur. Cum enim omne superioris corporis pondus versus anteriora, inferioris vero versus posteriora dirigatur, opus est, ut homo, si pedibus firmiter insistere cupit, id efficere conetur, ut, pelvi, in quam natura corporis fulcimentum atque sustentaculum reposuit antrorsum nonnihil directa aequilibrium cum thorace sustineatur. Habebis ergo concavitatem antrorsum spectantem in vertebris lumbaribus, adeoque curvaturam naturali contrariam, in osse sacro autem curvaturam naturalem imminutam, vel fortasse, uti in pelvium descriptarum exemplo primo, convexitatem antrorsum spectantem, loco concavitatis. Secunda ergo deformationum lex ea erit: *si primaria deformatio ea est, ut in*

aliqua parte ſpinae curvatura oriatur, naturali flexurae plane contraria: tunc etiam reliquae partes ſpinae flexuras ſuas naturales in contrarias plus minusve mutabunt, concavitates ſcilicet in planities vel convexitates, has vero in illas. Cum lordoſi igitur vertebrarum dorſalium vel cum cyphoſi lumbarium conjuncta erit curvatura oſſis ſacri imminuta vel plane deleta, vel in convexitatem mutata,*) illa ergo pelvis deformatio, quam „*pelvim minus juſto curvam, ſive pelvim rectam*" dicunt.

§. 5. Haec omnia certe eo facilius fient, quo magis juvenile corpus adhuc eſt, et quo facilius adhuc flecti queant oſſa atque conformari. Morbi oſſium ergo, qui haec in juventute juſto molliora reddunt, atque adhuc in provectiore aetate flexibilia conſervant, has deformationes ſpinae atque pelvis magnopere adjuvabunt, neutiquam autem ad hanc rem ſemper et neceſſario morbo aliquo generaliori oſſium opus eſt. Sin rhachitis vel ſimilis oſſium morbus accedit, deformitates majores orturas, nec tam regulariter, quam quas paulo ante deſcripſi, eſſe ſecuturas puto.

§. 6. Raro autem tam pura cyphoſis vel lordoſis invenitur, ſed plerumque haec vitia cum contorſione ſpinae laterali, cum ſcolioſi, conjuncta ſunt. Quamquam autem tunc hae quoque, quas hucusque expoſui, leges neceſſario minus purae atque diſtinctae, ſed vario modo perturbatae

---

*) Cfr. exemplor. deſcriptor. N. VII. X. I.

occurrant, tamen quo minus aeque conſtans hic quoque ſubſit lex, eadem ratione, qua hic factum eſt, eruenda, non dubito. Hoc ſaltem videmus cum ſcolioſi e. g. ad dextrum latus, conjunctam eſſe ſolere in vicino ſpinae loco aliam ſcolioſin ad ſiniſtrum, ita, ut alternatim convexitates et concavitates ad idem latus ſpectent, quod ſimiliter a deformati hominis conatu pendet, rectam ſpinae et totius corporis directionem ſervandi. Ceterum a ſcolioſi imprimis transverſas, a cyphoſi et lordoſi rectas pelvis diametros immutari, per ſe jam facillime patet.

§. 7. Ex his, quae hucusque dicta ſunt, ſequentia tanquam *corollaria* derivari poſſe videntur:

Si cyphoſis vel lordoſis penitus pura eſt, (i. e. absque ſcolioſi), tunc pelvis conformatio aequalis ab utroque latere erit, et obliquitas ejus raro invenietur.

Si ſcolioſis ſimul adeſt, tunc fere ſemper pelvis in alterutrum latus inclinata vel in alterutro latere major et amplior erit, in univerſum ergo pro pelvi anguſta habenda.

Si cyphoſis in ſuperiori ſpinae parte adeſt, os ſacrum cum coccyge magis excavatum erit, promontorio et apice coccygis antrorſum prominentibus, pelvis igitur curva, in introitu et exitu anguſta, in media apertura ampla; pelvis igitur periculoſiſſimae conformationis.

Si cyphoſis in inferiori ſpinae parte locum habet, pelvis erit non ſatis curvata, in introitu et exitu ampla, in media apertura minus ſpatioſa, et hoc quidem eo magis,

ſi ſimul exterius concavum vel planum os ſacrum invenitur. Pelvis igitur ampla erit, periculi in partu neutiquam expers.

Lordoſis in inferiore ſpina idem fere valet ac cyphoſis in ſuperiori ejus parte, lordoſis autem in ſuperiori ſpina id quod cyphoſis in inferiore.

§. 8. Satis nunc me demonſtraſſe puto, pelvis atque ſpinae conformationem arctiſſime inter ſe cohaerere, vitiaque a ſpina in pelvim etiam absque rhachitide transire. Sed foeminam, cujus ſpina deformata eſt, etiam neceſſario partum laborioſum exſpectare debere, neutiquam contenderem, quod etiam recte Voigtel *) negavit. Cyphoſis e. g. vertebrarum lumbarium os ſacrum planum plerumque reddit, ac neque promontorium nimis in aperturam pelvis ſuperiorem neque coccygis apicem in aperturam inferiorem prominere ſinit, pelvim igitur conſtituet amplam, partumque facilem, ſaepe nimis praecipitem efficiet. Cyphoſis et lordoſis pura pelvim utrinque aequalem nullibi obliquam efficiunt: ejusmodi igitur pelvim, ſi oſſis ſacri deformatio non magna fuerit, pro bene conformata habebis. Et ejusmodi exempla varia adhuc enumerari poſſent, niſi jam nimis diu et prolixe de his egiſſem.

§. 9. His praemiſſis ad id accedo, ut practicam eorum utilitatem, et veram *deformationum ſpinae in arte obſte-*

---

*) *Handbuch der pathol. Anat.* 1 Bd. S. 536.

tricia dignitatem ſemioticam oſtendam. Ordinem vero in hac re eum ſequuturus ſum, ut primum *graviditatem*, dein *partum*, denique *puerperium* conſiderem, et in qualibet harum periodorum momenta praecipua indicem, quae anamneſin non minus, quam diagnoſin et prognoſin medici obſtetricantis, ejusque opem ferendam dirigere valeant.

In graviditate.

§. 10. Retroverſio uteri frequentius exſpectari poteſt in ejusmodi gravida, quae cyphoſi in vertebris ſuperioribus laborat, quia cum hac deformitate plerumque concavitas oſſis ſacri magis juſto excavata conjuncta eſſe ſolet. In hoc caſu autem repoſitio uteri difficilior erit, quoniam non ſolum promontorium, ſed etiam vertebrae lumbares uterum impediunt, quo minus e pelvis cavitate rite aſſurgere queat. Eadem ratione tunc ſe res habebit, cum lordoſis vertebras lumbares occupavit. Minus autem timendam eſſe uteri retroverſionem, ſi cyphoſis in inferioribus ſpinae partibus haeret, inde patet, quod tunc magis plana oſſis ſacri formatio exſpectanda eſt; ſin tamen acciderit, faciliorem habebis uteri repoſitionem. Etiam ſcolioſis, ſi qua adeſt, aliquid valet ad hunc uteri ſitum perverſum. Et in ipſa repoſitionis encheireſi, ſi accurate ſpinae deformitatem conſideraveris, non ſpernendum inde conſilium habebis in apte collocanda aegrota, introducendis digitis et dirigenda earum actione. De his autem regulae in univerſum dari non poſ-

funt, fed in fingulis cafibus haec medici obftetricantis dijudicationi funt relinquenda.

§. 11. Prognofis partus, jam durante graviditate conftituenda, magni faepe eft momenti, ex caufis unicuique obftetricanti notiffimis. Ad ejusmodi prognofin conftituendam egregie confert confideratio deformitatum fpinae et hoc quidem multifaria ratione. Primo notiffimum illud in lectorum memoriam revoco: gibbofos fere omnes morbis pectoris, praefertim afthmati vel etiam phthifi pulmonali effe obnoxios. Non minus notum vero eft, hos morbos, et prae ceteris phthifin, durante graviditate filere, ita ut tuffis moleftiffima tunc mitefcat vel plane evanefcat, fpem vero aegrotarum, durante vel abfoluto puerperio majori cum vehementia redeuntibus morbis, triftiffimo modo falli. Medicus autem, etiamfi gravidam ejusmodi deformatam, antea nunquam ei vifam, nunc omni forfan phthifeos fymptomate liberam deprehenderit, tamen protinus latentis pectoris morbi fuspicionem capiet atque, cum in prognofi formanda, tum in medendi ratione ordinanda, illam fufpicionem fidum habebit ducem. Suadeat pro futuro partu, cui forfan ipfe intereffe non poterit, quae afthmaticis et phthificis fuadenda funt, laboris in partu nimii et defatigationis fugam, expellat ex animo feminae nimias in proprias vires fiduciam, etiamfi hae fufficere videantur, et nimis longam obftetricantis medici exfpectationem, oftendat e longinquo ea, quae poft puerperium vel reverti, fi adfuerint, vel, fi non-

dum locum habuerint, apparere possint. Nam asthmaticis quoque nimius in partu labor phthisin facile conciliat.

§. 12. Sed certissima partus prognosis ex pelvis conformatione dependet, hanc autem accuratius explorare in gravida rarissime licebit, quamvis aliqua saltem de futuro partu prognosis in votis sit medico non minus quam gravidae. Et hic egregie succurrunt conclusiones illae, quas fieri posse a spinae ad pelvis figuram paulo ante demonstravi. Certitudinem nullam praebent, libenter largior, attamen aliquid lucis medico afferunt et eam haud dubie certitudinem habent, ad quam ibi, ubi nulla accuratior pelvis exploratio conceditur, adspirare possumus. Praeterea autem curvaturae spinales saepe morbos ossium praegressos, praesertim rhachitidem, prioribus annis perpessam indicant. Qui quidem ossium morbi suspicionem pelvis deformatae semper prae se ferunt, ideoque in partus prognosi finienda summi sunt momenti. — Imo alias quoque morbosas dispositiones, alia via forsan neutiquam eruendas, nobis in gravida nostra cognitas reddunt, ut scrofulosam indolem, dispositionem ossium ad exostoses procreandas etc. Cum vero deformitates istae toties medico constitutiones deformatarum feminarum aperiant, earumque ope toties invitemur ad suspicionem, quam suggerebant, asthmaticae, phthisicae, rhachiticae aliusve constitutionis, ulterius prosequendam, et certioribus signis eruendam; aliqua etiam prognosis nobis concedetur de natura infantis nascendi ejusque

et in utero et per mammas nutritione, qua de re autem infra plura dicturus sum, cum sermonem de puerperio injecero.

In partu.

§. 13. Si ante perscrutationem obstetriciam (internam quam vocant) conclusio tantum probabilis et incerta admodum conjectura fieri potest a spinae ad pelvis figuram, haec ipsa incerta opinio, suspicionem hanc vel illam movens, necessariam pelvis perscrutationem nunc quasi dirigit, accuratiorem reddit et complet. Hoc mecum unusquisque confitebitur, qui saepius parturientium pelves perscrutatus est, et cui summae hujus negotii difficultates et multitudo et varietas rerum observandarum et brevissimo temporis momento dignoscendarum ex propria innotuerunt experientia. Crescit adhuc rei difficultas in praxi sic dicta privata, ubi interdum vix una conceditur perscrutatio, saepius iterata vero pertinaciter negatur. Hic gratissimum erit medico, si quam saltem pelvis praesentis imaginem ante perscrutationem sibi fingere potest, si directrix quaedam cognitio difficillimum negotium paullo facilius reddit. Haec cognitio autem in deformatis parturientibus non omnino nos derelinquet, si in harum deformationum leges naturales accuratius inquisiverimus.

§. 14. Fortasse adeo in ipsius uteri deformationem spinae deformitas quodammodo agit. Liceat mihi hac de

re opinionem, quam nullo quidem exemplo probare me posse consiteor, aliorum examini submittere. Deformatio spinae, praesertim scoliosis, originem saepe ducit ex abnormi vasorum decursu,*) ita quidem ut quasi dispositio ad eam congenita sit, quamvis deformatio non prima semper juventute appareat. Nonne ea ipsa in malam partium formationem inclinatio etiam in uteri figuram agere poterit? nonne diversum illud in utroque corporis latere incrementum uterum quoque corripiet? Et si hoc fieri posse conceditur, quid est, cur non in ejusmodi scolioticis uteri obliquitatem (*Schiefheit des Uterus*) exspectemus? Quanti autem momenti sit, hanc uteri obliquam figuram a situ ejus obliquo (*Schieflage d. U.*) dignoscere, quis est, qui nesciat? Sed haec non nisi hypothesis sit et conjectura, data occasione stabilienda vel refutanda.

§. 15. Sed non solum ad parturientis statum cognoscendum, sed eo ipso jam ad opem rite ferendam confert consideratio spinae deformatae. Primo videat medicus obstetricius, quomodo collocanda sit in partu mulier ejusmodi deformata. Ad hanc rem cum non solum pelvis figura faciat, sed totius trunci et spinae formatio, non exigui momenti erit scire, quomodo deformatio *partis* ali-

---

*) Cfr. observationem memorabilem cum docta epicrisi, quam exhibuit F. A. Koberwein, *de vasorum decursu abnormi ejusque vi in omnem valetudinem varia*, *Vitebergae* 1810. 4.

cujus ſpinae in *univerſam* ejus figuram agat, quod ſupra jam demonſtratum eſt. Etiam hic regulae univerſales difficilius exhibentur, exhibitae difficilius adhuc ad ſingulum quendam caſum transferuntur. In univerſum ſcolioticae parturientes ei lateri incumbant, ad quod ſcolioſeos lumbaris concavitas ſpectat. In cyphoticis vero duplex occurrit conſideratio. Si cyphoſis, multas vertebras complectens, inferiorem magis ſpinae partem occupat, ita ut uteri fundus valde reclinatus ſit, inclinata*) magis jaceat parturiens, femoribus tamen non attractis, ut infanti quidem via in pelvim facilius pateat, celerior autem ejus per amplam et minus curvatam pelvim deſcenſus non promoveatur. Si cyphoſis autem paucas ſolummodo lumborum vertebras complectitur, uteri fundo ſimul non nimis reclinato, ſupina magis mulier recumbat, ne nimis cito et praecipitanter partus abſolvatur. In lordoſi lumbari autem vel in cyphoſi ſuperioris ſpinae partis inclinatus parturientis ſitus aptior videtur. Sed ſingulae alicujus caſus conditiones hic multa mutabunt, ſitumque parturientis dirigere debent. Praeſertim a ſitu fundi et orificii uterini hic omnia fere dependent.

§. 16. Aliud quoddam momentum, quod in deformata parturiente medico obſtetricanti viam agendi monſtrat

---

*) *Inclinatus* parturientis ſitus mihi is eſt, ſi quidem haec dorſo et natibus incumbit, ſed ita, ut extremitates inferiores cum trunco non rectam lineam ſed angulum magis minusve obtuſum forment. *Supinus* ſitus autem is eſt, ſi cervici, dorſo natibus et poſteriori extremitatum inferiorum ſuperficiei in directum incumbit.

in conſtitutione univerſali, e deformatione ipſa dignoſcenda, poſitum eſt, de qua re ſupra jam, quum de graviditate verba facerem, nonnulla protuli. Vidimus ibi mulieres ad aſthma et phthiſin imprimis pulmonalem pronas eſſe his deformationibus affectas. In ejusmodi autem parturientibus pariendi labor, non diu naturae viribus relinquendus eſt, quippe cum partus illis abſolvatur quidem, ſed ita, ut maximopere inde debilitatae feminae paucis diebus poſt partum a phthiſi reduce enecentur. Quae quidem ſaepe ſervari potuiſſent, ſi mature partus artis ope promotus fuiſſet. Hoc autem praeſertim faciendum erit in deformatis ac curvatis, quae ex hoc ipſo vitio jam ad pectoris morbos pronae ſunt. Unde vero cognoſceret medicus ſtatum phthiſicum in ejusmodi puerpera, antea neutiquam ipſi nota, praeſenti temporis momento ab omni phthiſeos ſymptomate libera, niſi e ſemiotica ſpinae deformatae cognitione?

In puerperio.

§. 17. Summi momenti medico ad puerperam vocato cognitio eſt partus praeteriti. Maxime intereſt ſcire, utrum puerpera praecipitem habuerit partum, an longis forſan laboribus fuerit fatigata. Sed nil aliud medicus ſaepe eruere poteſt, niſi incompletam ab adſtantibus, perverſam ab obſtetricantibus foeminis narrationem. Magni hic emolumenti erit deformitatum ſpinae conſideratio, cum ex ea quodammodo ad pelvis figuram concludi queat, partusque decurſus

quodammodo inde divinari. Qua ratione hoc fieri poſſit et debeat, ſupra demonſtravi.

§. 18. Dein in puerperio etiam illud valet, quod jam antea de conſtitutione deformium feminarum ejusque diagnoſi dixi; inclinationem nempe ad morbos pectoris, ſcrofuloſam vel rhachiticam conditionem, et hujus generis alia in ejusmodi puerpera ſuspicari poteris, licet alia ſigna taceant.

§. 19. Et ſic quoque de foetu ipſo, quem mater deformata utero gerit, aliqua conſtitutionis prognoſis atque diagnoſis conſtitui poterit. Non diſcutienda hic quidem eſt disputabilis illa atque difficilis quaeſtio de hereditaria morborum indole, quae tamen, ut meam opinionem profitear, non omnino negari poſſe videtur. Saltem hoc unusquisque concedet, embryonem melius et validius nutriri a matre ſana et robuſta, quam ab illa, quae ſcrofuloſa labe laborat; oſſa infantis illius morboſe adfecta eſſe debere, cujus mater rhachitica quondam fuit; ea ipſa viſcera in infante imperfectiora manere, quae in matre propter deformationem ſpinae quoad ſitum et functiones premuntur et perturbantur. Sin deformatio ſpinae matri congenita fuerit, ea eodem modo ad infantem transgredi poteſt, quo in pluribus familiis ſupervacanei digiti. Infans igitur ab ejusmodi deformata femina enixus diligentius indagandus erit et inſpiciendus, annon vel ſpinae vel artuum quaedam deformatio adſit, in educatione autem ſedulo cavendum, ne occaſio deformationis praebeatur, inſpectio ſaepius reiteranda, ut

quam primum deformatio quaedam apparuerit, contra illam efficax cura adhiberi possit. Diligenter etiam pectoris status considerandus erit, ut certiores reddamur, annon pulmonum quaedam debilitas a matre in prolem transierit, et idem ratione dispositionis rhachiticae vel scrofulosae observandum. Sic accuratior deformationum spinae in feminis prolem edentibus consideratio multum conferre potest ad prophylacticam recens natorum curam dirigendam, multa mala ab his possunt arceri, multa primo initio curari, quae si serius tantum animadvertuntur, curationem aegre admittunt.

§. 20. His omnibus rite perpensis, facile solui potest quaestio, num femina, ita deformata, pro nutrice eligenda sit? Vulgaris jam opinio sententiam nostram confirmat, spernit enim ejusmodi nutrices, quae conformationis trunci vitio laborant; praesumitur enim morbosa quaedam dispositio in illis latens. Agnoscitur ergo in hac re deformationum spinae dignitas semiotica, quae ut diligentius, quam hucusque factum est, eruatur, in votis esse debet medicorum. Mihi quidem ad hanc rem viam monstrare et primas quasi hujus doctrinae ducere lineas, in animo erat; inchoatum hunc laborem alii, quibus copiosior experientia et major sagacitas concessa est, profligent atque sensim sensimque adsolvant!

CAPUT TERTIUM.

DE PELVI DIMETIENDA.

Non deerunt certe, qui operam illam, quam in dimetiendis pelvium descriptarum diametris adhibui, inutilem et

ſuperfluam cenſeant. Et ſi apud hos fortaſſe antiquum illud me excuſaret: „ſuperflua non nocent" pejor tamen ſors me exſpectare videtur et acrior cenſura illorum, quibus omnis in re medica matheſis perniciosa videtur et proſcribenda. Nonnulla igitur de hac re diſſertationi addere, non incongruum videbatur. — Mira quaedam reformidatio matheſeos noſtris temporibus eos corripuiſſe videtur, quibus ſtudium animantis naturae incumbit et inter hos praeſertim illos, qui medicinam tractandam ſusceperunt. In qua re nil eſt, quod miremur. Memoria errorum illorum, quos ſchola illa, quam iatromathematicam nominamus, et quae ſeculo decimo ſeptimo praeſertim floruit, commiſit, omnium animis adhuc inſidet. Recordamur non absque juſta quadam indignatione ſummum naturae creantis opus, corpus humanum, conſideratum fuiſſe ab hujus ſcholae ſectatoribus tanquam machina quaedam, primo impulſu mota, recordamur circuitum humorum pro hydraulico, reſpirationem pro pneumatico artificio fuiſſe habitam, et pejora adhuc, hic non denuo recenſenda. Evanuit tandem error ille, novisque ceſſit theoriis, novis erroribus. Recentiſſima autem tempora rurſus matheſin in medicinam introducere ſtuduerunt, philoſophiae, ſic dictae naturalis, aſſeclae formulas rurſus adduxerunt mathematicas et de ellipſi vitae animalis, de poſitivis ac negativis factoribus, de tribus dimenſionibus, de poteſtatibus aliisque ejusmodi terminis mathematicis locuti ſunt permulta — ad minimam tantum

partem intellecta. Medicinam ad certas ſtabilesque formulas reductam putaſſes; certitudo, tam diu quaeſita, videri potuiſſet inventa ac ſanguinis non minus, quam planetarum periodus calculo ſubjecta. Sed proh dolor! vana veri ſpecies animos feſellerat, non matheſin ejusque certitudinem habebas in medicina, ſed formulas ſolum inanes, matheſeos ſpeciem prae ſe ferentes, toto coelo autem a matheſeos genio abhorrentes. Vanus verborum phraſiumque luſus erat, realitatis nil continens. Igitur et hic quoque ſalutem nullam matheſis attulit, quid mirum, ſi in omne aevum medici ſalutem nullam a mathematicorum doctrina ſperandam eſſe cenſeant?

§. 2. Aequo tamen animo et tranquillo ſi rem conſideraveris, ita ſe habere, non judicabis. Medio tutiſſimus ibis! Antiquior iatromathematicorum ſchola, quae viros ſummos ſuis adnumeravit,*) in eo praeſertim peccaverat, quod organicum idque vivum corpus phyſicis legibus cunctis ſubjectum eſſe putaret, ex quo jam errores innumeri in ipſo calculo faciendo oriebantur; accedebat praeterea, quod imperfectior anatomiae, phyſiologiae, chemiae phyſicaeque ſtatus neque data ſaepe porrigeret exacta, neque calculum omnibus numeris abſolutum fieri concederet. Ceterum multa ſumma laude digna ex hac ipſa ſchola prodiiſſe, nemo

*) Inter quos unum inſtar omnium nominare liceat ALPHONSUM BORELLI, cui facile multos alios lector hiſtoriae medicae probe gnarus ipſe iunget.

inficias ibit, fed ipfe genius, qui has lucubrationes regebat, non is erat, qui naturae organicae penetralia recluderet. Alia plane idea fcholae recentium iatromathematicorum praelucebat: leges mathefeos menti humanae tam profunde infculptas naturam quoque univerfam, macrocosmum non minus, quam microcosmum regere, illud vinculum effe, quod tempus cum aeternitate, fpatium cum infinitate, divinam cum humana natura conjungat. Praeclara certe et homine digniffima cogitatio, ab antiquiffimis jam philofophorum principibus celebrata, cui et PYTHAGORAE et divini PLATONIS fyftematum maxima pars innititur! fed ut applicatio illius fiat ad res humano intellectui fubjectas, ut eruatur infinita illa ratio univerfi, ut confpicuum reddatur connubium illud aeternitatis cum faeculo — hic opus, hic labor! Hunc laborem aggreffi funt illi, et recte quidem tendebat ad ardua virtus! Sed quod tam cito, fyftematum fplendore occoecati, fructum fe adeptos effe putabant, mortalibus fortaffe femper negatum, hoc erat, quod aequus judex notabit, hoc erat, quod fuperbo nimis aedificio ruinam inevitabilem conciliabat. — Ab infimis ergo ad fumma afcendere antiquorum, a fummis ad inferiora defcendere recentiorum fchola iatromathematica ftudebat. Uterque conatus quamquam finem fperatum non attigit, tamen erraret, qui hanc viam omnino derelinquendam effe putaret. Mathefi doctrinae fcilicet de quantitatibus, fubjectum omne illud eft, quod temporis et fpatii finibus continetur,

quod extra illos positum est, ignoramus, mathematica saltem nulla de his conceditur certitudo mortalibus. Sed quae sunt sensuum nostrorum ditioni subjecta, horum quantitates distinguamus et constituamus summa cum diligentia, et ἀκρίβεια, qua possumus maxima. Subministret anatomia et physiologia data ejusmodi, quibus certior calculus superstrui queat; nullam negligamus occasionem, accuratissimam phaenomenorum et formationum organismi notionem adipiscendi, et videamus tunc, quatenus possit mathematica adhiberi consideratio, et ubinam haec legibus vitae coercita fines suos inveniat.

§. 3 Sed coercendam quoque video hanc esse digressionem, quippe quae longior, quam animus erat, facta est. Redeo, unde digressus eram, ad dimetiendam pelvim. Si illud jam pro verissimo habemus et indubitato: quaerendam esse accuratissimam quamque corporis humani notionem, quid est, quod dimensiones illius accuratas spernamus? Quidnam, quaeso, anatomicorum laudabile incendit studium, singulum quendam vel minimum vasorum aut nervorum surculum quaerendi et describendi, nisi eadem illa accuratissimae corporis cognitionis necessitas intellecta? Proportiones autem corporis mathematicas num minoris credamus esse momenti quam ejusdam structuram? num architectonicam cognitionem postponamus morphographicae? num a pictoribus discere placet, quod doceri eos a nobis con-

venit! Facile autem patet, ſingulas corporis partes metiendas eſſe, ſi proportiones eruere velimus *), hoc autem in oſſea compage prae ceteris eſſe faciendum, quod ab oſſium proportionibus illae totius corporis dependeant. Inter omnia corporis oſſa fuerunt prae ceteris caput atque pelvis ea, quae frequentiſſime mathematicis demonſtrationibus ſubjiciebantur, illud ex theoretica, haec ex practica potius cauſa. In memoriam voco, ratione capitis, lineas cephalometricas Spigelii, lineam occipitalem Daubentonii, angulum facialem Camperi, angulum Waltheri et Mulderi, lineas Doornikii, lineas nuchales Herderi et alia; ratione pelvis autem Levretii, Deventerii, Roedereri, Steinii, Sommeri aliorumque plurimorum labores et inquiſitiones in axin, inclinationem et diametros pelvis. His ſummorum virorum laboribus anſam praebuiſſe videtur juſta quaedam exſpectatio, illis praecipue tam nobilibus atque praeſtantibus partibus ſubeſſe quasdam vel magis conſtantes vel magis graves et utiles proportiones, alia prorſus via, quam mathematica, non eruendas. Ejusmodi autem proportiones vere adeſſe, uti nemo eſt, qui dubitat, etiam easdem erui poſſe ac debere, quilibet confitebitur. Sed quod multis adhuc obſervationibus ad mathematicum

---

*) Conferantur hic, quae Cel. Nasse, vir omni mihi pietate colendus, de hac re monet: „*Bitte an Anatomen*" in Meckel's *deutſchem Archiv für die Phyſiologie* 2. Bd. 4. Heft. S. 626.

medium conſtituendum coacervandis, multisque lucubrationibus opus ſit, an hoc nos a labore continuando deterreat?

§. 4. Theoretico ſtudio adjuvando dimenſiones pelvis inſervire, concedetur mihi fortaſſe, ſed objicietur: „STEINIUM, aliosque quosdam nimis mathematice rem obſtetriciam tractaſſe." — Hos viros nimis mathematice aut potius mechanice rem obſtetriciam tractaſſe, cum b. WIGANDIO *) libenter confiteor, neque erroneas eorum ſententias permultas defendere conabor, ſed hoc conſtanter nego: *doctrinam de pelvis ſigura* nimis mathematice tractatam fuiſſe, quippe quod propterea, quod de ſigura agitur, fieri nunquam poterit. Dein neminem obſtetricantium fugit, quantum incrementi doctrina de motu infantis per pelvim (quae ſummae neceſſitatis in praxi eſt) inde a DEVENTERII temporibus ceperit, et quam multa adhuc ſolvenda ſuperſint dubia, quae certe non inani ratiocinio, vel ſubtili ſpeculatione, ſed obſervatione naturae accurata tolli poſſunt. Ad has autem disquiſitiones inſtituendas denuo invitandi harum rerum peritos, hanc opportunitatem dimittere nolui, adjecta ſimul exigua ſymbola, ne matheſis diutius nimium a rebus

*) „*Bruchſtücke aus dem gröſsern Werke, die Geburt des Menſchen betitelt,* von Dr. WIGAND." §. 9. *in* HUFELAND'S *Journal der practiſchen Heilkunde,* März 1817.

medicis exulat. Sed mathesis quae in medicinae usum ducatur, sobria sit et modesta, fidaque naturae comes, absit ab ea regnandi dira cupido, ancillantis doctrinae vicibus esto contenta, ut cara fiat et necessaria medicis artique medicae amica.

PELVIUM DESCRIPTARUM DIMENSIONES.

NUMERI INDICANT PARTES DUODECIMAS POLLICIS PARISIENSIS.

N.	Diameter magna pelvis.	Diam. recta apert. ſup.	Diam. recta apert. med.	Diam. recta apert. inf.	Diam. transverſa apert. ſup.	Diam. transverſa apert. med.	Diam. transverſa apert inf.	Diam. obliqua dextra ap. ſup.	Diam. obliqua ſiniſtra ap. ſup	Angulus arcus pubis.
I.	107.	30.	37.	51.*	57.	53.	44.	54.	56.	130°.
II.	95.	44.	59.	44.	54.	43.	30.	52.	50.	
III.	92.	48.	52.	30.	59.	53.	48.	45.	63.	110°.
IV.	98.	39.	48.	33.	45.	41.	30.	48.	48.	70°.
V.	108.	40.	46.	37.*	65.	61.	47.	60.	65.	120°.
VI.	108.	46.	64.	39.	58.	57.	48.	60.	57.	105°.
VII.	104.	59.	58.	44.	60.	56.	43.	58.	55.	110°.
VIII.	92.	50.	50.	43.	53.	54.	45.	53.	53.	
IX.	101.	53.	55.	42.	53.	53.	47.	54.	55.	

*) Os coccygis in exemplo deſcripto deeſt, diameter recta aperturae inferioris igitur paullo minor cenſenda eſt, quam numerus hic, adjectus indicat, quippe qui ſpatium inter apicem oſſis ſacri et marginem inferiorem ſymphyſeos pubis indicat.

D. IO. CHRIST. ROSENMUELLER

ANATOMIAE P. P. O.

UNIVERSITATIS LITERARUM LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

D. XVIII. MART. A. D. MDCCCXVIII

IN

AUDITORIO IURIDICO CELEBRANDAM

INDICIT.

DE DIIUDICANDA CONSCIENTIA AC VOLUNTATIS LIBERTATE IN IIS, QUI MORBIS ACUTIS SUNT AFFECTI.

Res est notissima, per experientiam quotidianam confirmata, quaestiones medicis forensibus a jurisconsultis eo consilio propositas, ut caussae quaedam juridicae perlustrentur et clariores reddantur, interdum tam incongruas esse, ut res ipsa, in quam inquirendum sit, intacta relinquatur, indeque latum judicium medicum, omnibusque rebus bene perpensis, maximaque doctrina elaboratum, tamen nequaquam fini proposito respondeat, nec judici evidentiam necessariam praebeat. Caussa ex parte in eo potest quaeri, quod ratio vera et propria inter doctrinam juridicam, medicinam forensem atque psychologiam nondum est reperta et constituta, quum unaquaeque illarum doctrinarum ab altera plane sit separata. Itaque difficillimum est, rationem proponere, ex qua singulae quaevis caussae possint judicari. Iurisconsultus intelligentiam rei *suam* ex principiis *suae* doctrinae profectam, a medico perverti non vult; medicus vero adstrictus ad verba quaestionis propositae, ita rem explicat, ut obscura non illustrentur, sed obscuriora etiam non raro reddantur propterea, quod medicus caussam propositam dijudicat ex principiis, quae differunt ab iis, quibus utitur jurisconsultus.

Prae caeteris vero difficulter refpondetur huic quaeftioni, num aliquis certa conditione pofita, cum libertate atque confcientia fui ipfius, per vim genuinam voluntatis, ex legibus rationis egerit, nec ne? Difficilis vero eft refponfio propterea, quod partim facultates pfchychicae tam diverfae hominibus a natura funt tributae atque educatione exultae, partim quod per animi commotiones aut morbos illae facultates ita poffunt fupprimi, ut vera propriaque indoles earum fit obfcurata. Et revera funt conditiones vitae, in quibus homines fub fpecie confcientiae in quamque propofitam quaeftionem aptiffime refpondent, etfi confcientia vera non adfit, iique paullo poft nullam eorum, quae refponderunt, rationem reddere poffint. Num vero ideo jure poffumus contendere, unumquemque confcientiae effe expertem, qui non optima fruatur valetudine, aut non omnino vacet animi aliqua perturbatione? Tunc quidem plurimae conftitutiones teftamentariae nihil valerent, nec medicus forenfis in quaeftionem illam de qua loquimur, certe atque definite poffet refpondere, nifi indagatione hominis, de quo agitur, faepius repetita, quae vero non femper poteft inftitui, praefertim quum quaeftio fit de mortuo.

Sed nonne philofophis arbitrium de hujusmodi quaeftionibus effet conferendum? — Quamquam ftudium philofophiae tum doctis in univerfum, tum medicis figillatim, tam neceffarium eft, ut eo nequaquam poffint fuperfedere:

tamen philofopho his in cauffis arbitri locus concedendus non eft, quum in mufeo fuo fyftemata conftruat, et eo magis cogitationibus fuis obfcuris implicetur, quo majori arte atque opera fyftemati fuo ftuduerat. Facile enim opinatur, vana fuperbia ductus, fe inveniffe leges, ex quibus mentem atque animum hac aut illa in cauffa efficaciam fuam exferere oporteat. Quae philofophorum disquifitiones tamen laude maxima funt dignae, neque a medico forenfi negligendae, quippe quem deceat eas noffe, non tamen coeco obfequio tamquam leges certas promulgare. Nam funt philofophi, qui opinionibus fuis, mero arbitrio fictis, experientiam poftponunt, quam tunc folummodo agnofcunt, ubi opinionibus ipforum non repugnat. Iudicis vero, qua talis, nihil intereft, audire ea, quae medicus nesciat, aut non certo fciat, neque certe judex cupit noffe, quae de hisce rebus a philofophis disputata fint, quam judicium certum atque definitum de cauffa propofita, quod inde proficiscatur.

Quare tanquam certum ratumque in folvendis quaeftionibus juridicis hujusmodi, poni licet obfervationes ingenio acuto inftitutas atque fultas experientia.

Igitur fi medico forenfi in univerfum atque cum affirmatione, res propius fpectantes ad aegrotum non effe notas, proponeretur haec quaeftio:

„Ob ein bejahrter Mann, welcher an dem im „Jahr 1813 herrschenden Lazareth- und Ner- „venfieber gestorben ist, im Stande gewesen „seyn könne, am Vorabend seines Todesta- „ges mit Bewuſstseyn und freiem Willen „einen Kauf über seine Grundstücke abzu- „schlieſsen?“

ad hanc solvendam quaestionem principia e philosophia deducta nequaquam sufficerent, quum cardo rei in eo vertatur, ut natura atque character epidemiae tunc grassantis, atque effectus, quem exercuerit in sensorium, ex observationibus medicorum peritissimorum cognoscatur.

Quum vero cuique medico practico innotuerit, characterem epidemiae a. 1813 grassantis fuisse asthenicum, ut tunc temporis in diversissimis morbis observari poterat; typhum etiam verum, ex diversitate caussarum, hominum atque curae medicae multifariam in promtu fuisse; soporem neutiquam symptoma hujus morbi constans fuisse; eos etiam aegrotos, qui per plures quidem dies sopore fuissent obruti, saepe plures ante mortem horas cum conscientia eximie clara expergefactos esse; denique multos aegros conscientia sua non esse privatos, nisi in ipso fere mortis articulo: nostra quidem sententia ad quaestionem supra propositam omni jure ita potest responderi:

„Der Fall könne gar wohl Statt gefunden ha- „ben, daſs ein an dem im Jahr 1813 herr-

„ſchenden Lazareth- und Nervenſieber er-
„krankter bejahrter Mann, am Vorabend
„ſeines Todestages mit Bewuſstſeyn und
„freiem Willen einen Kauf über ſeine Grund-
„ſtücke habe abſchlieſsen können."

Sed contra hoc judicium forſitan erunt, qui adverſentur: conſcientiam claram in typho, in quo cerebrum et nervi ſtatu inflammatorio ſint correpti, nullo modo poſſe ſtatui. Quibus reſpondemus: talem opinionem ſeculo medio praeterito potuiſſe valere, quum in quaque typhi ſpecie venaeſectiones inſtituerentur, et ſtatus ſoporoſus inde productus usque ad mortem perduraret; porro morbum, de quo hic ſermo eſt, characterem vere inflammatorium rariſſime prae ſe tuliſſe, quum ejus character aſthenicus eſſet, natus inopia omnis generis, anxietate atque terrore, nec non aëre per cadavera vulnerata et putrefacta hominum et beſtiarum inquinato corruptoque. Sed etiam cum inflammatorio cerebri ſtatu conſcientiam claram conjunctam eſſe poſſe, in vulnerato milite obſervavimus, qui, etſi globulus ſclopeti usque in tegmentum ventriculi lateralis ſiniſtri cerebri penetraverat, conſcientiam perfectiſſimam per undecim dies integros retinuit.

Majoris fortaſſe momenti eſſet, ſi quis objiceret, conſcientiam ex ſermonibus bene connexis atque ex reſponſis aptis non ſemper certo judicari poſſe. Quodſi concedimus,

errores interdum inde proficisci, tamen non necessario concludi potest, medicum semper in errorem incidere.

Quod denique homo ille, de quo quaeritur, jam ad senectutem provectus erat: hoc nihil facere potest contra sententiam supra propositam, quum juniores plerumque vehementius prosternantur a typho, quam seniores.

Sed nonne in quaestionem supra propositam aptius responderi possit hoc modo?

„Der in Frage befangene Kranke habe die „Voraussetzung der zur Disposition über „seine Grundstücke erforderlichen Besonnenheit und Willensfreiheit, vermöge der „Krankheit und seiner hohen Jahre, wider „sich, so lange das Gegentheil nicht erwiesen sey, durch nähere Beschreibung der „Krankheit und des Kranken selbst, wozu „N. N. die Materialien bis hierher nicht „erhalten können.“

Quamvis hoc responsum non exiguam apti judicii speciem prae se fert, tamen in quaestionem illam quadrare omnino non videtur, quum quaestio non de iis agat, quae verosimilia sint, sed de iis, quae potuissent fieri. Quum vero omnia ea non sint nota, quae ad caussam illam singulam rite disceptandam necessaria sunt, medicus pro lubitu agit, quum negat, conscientiam et voluntatis liberta-

tem non adfuiſſe, contrarium vero etiam ſine cauſſa ſufficiente non poteſt ſtatui. Niſi vero ea, quae propius ſpectant ad aegrotum et ad ejus morbum, in occulto laterent — et forſitan ſemper latebunt — cum quaeſtio tum reſponſio longe aliter eſſet inſtituta, ac fieri potuit hac rerum conditione. Caeterum haec ſalvo rectius ſentientium judicio, veluti curſim et obiter dicta ſunto.

Aggredior nunc potius id muneris, cujus gratia haec praefari libuit. Scilicet publicis laudibus ornandus atque praedicandus eſt Candidatus ſummorum in arte ſalutari honorum perquam eximius

VIR
PRAENOBILISSIMUS ATQUE DOCTISSIMUS
IOANNES LUDOVICUS CHOULANT
MEDICINAE BACCALAUREUS DIGNISSIMUS,

qui hanc de vita et ſtudiis narrationem ſuis conſcriptam verbis nobis exhibuit:

Natus ſum Dresdae die duodecima Novembris anni MDCCXCI, patre FRANCISCO IOSEPHO, rei coquinariae praefecto ap. Ser. Princ. ANTONIUM, matre IOANNA e gente TREHER. Patre optimo adhuc ſuperſtite laetor, matrem jam puer triennis perdidi. Prima doctrinarum elementa inter privatos parietes edoctus anno MDCCCIII ſcholam latinam Dresdenſem, catholicam fidem confitentibus deſtinatam adii, ibique per quadriennium ſub auſpiciis R. D. PETRI et Exc. SUITTERI (quorum priorem nimis matura

morte literis ereptum ſincera mente doleo, alteri vero adhuc in eodem munere vigenti ſummas perſolvere gratias me poſſe laetor) linguae latinae et graecae, nec non reliquorum ſtudiorum, quae humaniora dicunt, ediſcendorum optima mihi fuit copia, qua, quoad juvenilis ſineret levitas, pro viribus uſus ſum. Simul cum inclinationem quandam ad pictoriam artem in me ſentirem ac vitae meae rationem omnem huic arti devovere cuperem, Academiae Dresdenſis pictoriae inſtitutionibus fruitus ſum per tres annos et quod excurrit. Sed cum accuratius examen mecum ipſe inſtituerem, quaenam vitae conditio mihi prae ceteris conveniret, ad rem pharmaceuticam me converti et die decimo quarto Septembris anni MDCCCVII officinam pharmaceuticam Dresdenſem aulicam intravi, rei pharmaceuticae discipulus. Tirocinio quadriennio ſub auſpiciis Ortmanni, *tunc temporis pharmacopoei aulici, peracto, die vigeſimo Septembris anni MDCCCXI more apud pharmaceuticos ſolemni ex officina dimiſſus ad ſtudium medicum me contuli et die vigeſimo octavo Septembr. ejusdem anni inter Collegii medico-chirurgici Dresdenſis alumnos receptus acroaſes ibi habitas, nec non theatrum anatomicum frequentavi. Praeceptores mihi fuerunt: in anatomicis theoreticis et practicis b.* Tobias, *vir ſumma mihi ſemper religione colendus, quem indefeſſus labor et pernicioſa typhi epidemia ſtudiis praematura morte eripuit, et Exp.* Koberwein, *tunc temporis profector, nunc Reg. Maj. Archichirurgus; in phyſiologicis iidem; in pa-*

thologicis et therapeuticis Exp. RASCHIG; *in chirurgicis Exp.* OHLE; *in doctrina de medicamentis Exp.* FLEMMING; *in medicina publica Exp.* KOBERWEIN, *qui etiam ſocietati anthropologicae ſub ejus auſpiciis florenti me aſſociaverat. Menſe Majo Anni MDCCCXIII Lipſiam me contuli, cujus inter cives Academicos jam die duodecima Septembris MDCCCXII, S. R.* TITTMANNO *Rectore Magnifico receptus eram. Lectionum, quibus in Alma Lipſienſi Literarum Univerſitate (cujus et docentium et commilitonum recordatio gratiſſima mihi ſemper manebit) inſtitutus ſum, haec fuit ratio: Frequentavi lectiones philoſophicas Exc.* CLODII, *Exc.* WENDTII *et Exp.* HEINROTHI; *mathematicas (de Algebra et de ſectionum conicarum calculo analytico) Exc.* MOLLWEIDII; *zoologicas, botanicas et mineralogicas Exp.* SCHWAEGRICHENII; *phyſicas et chemicas Exp.* GILBERTI; *anthropologicas Exp.* HEINROTHI; *anatomicas Ill.* ROSENMUELLERI; *phyſiologicas Ill.* PLATNERI *et Exp.* IOERGII; *inſtitutiones de medicinae hiſtoria literaria Exp.* PUCHELTI. *Res anatomicas ad naturam delineandas Cel.* SCHROETER *me edocuit. Audivi praeterea Ill.* PLATNERUM *ſelecta e medicina forenſi capita explicantem, Exp.* HAASIUM *de medicamentis et de exanthematibus acutis, Exp.* LUDWIGIUM *de ſpeciei humanae hiſtoria naturali, Exp.* CLARUM *de conſtitutione epidemica, Exp.* IOERGIUM *de arte obſtetricia et de ſpinae artuumque curvatura praeternaturali, Exp.* RITTERICHIUM *de arte faſcias chirur-*

gicas applicandi, Exp. HEINROTHUM de medicina psychica privata ac forensi. Interfui examinatorio anatomico Ill. ROSENMUELLERI, examinatorio physiologico Exp. KUEHNII, disputatorio ex universa medicina sub Exp. ESCHENBACHII praesidio. Instructus sum lectionibus in instituto clinico Regio in nosocomio Divi Iacobi sub auspiciis Expp. Viror. CLARI, WENDLERI et KUHLII, nec non institutionibus in schola obstetricia Trieriana sub auspiciis Exp. IOERGII florente. Praeterea per semestre aestivum anni MDCCCXIV et hibernum proxime sequens contigit mihi amanuensis munere fungi apud Exp. GILBERTUM, cujus summam erga me benevolentiam, qua etiam nunc frui me sinit, gratissima semper memoria tenebo. Non minus autem jucunda mihi erit recordatio temporis istius, quo adjuvantis munus in instituto obstetricio et apud Exp. IOERGIUM mihi incumbebat, cum hujus quoque Viri optime de me meriti benevolentia ad hunc usque diem mihi conservata laetari queam. Vices autem has gessi in instituto obstetricio inde a die decima octava Octobris MDCCCXV usque ad diem secundam Maji MDCCCXVII. Contigit mihi quoque honos, ut Exc. MOLLWEIDE, cui in mathematicis optima debeo, ob adeundum professoris matheseos munus dissertationem suam „de quadratis magicis" defensurus me respondentem et certaminis die vigesima prima Februarii MDCCCXVI habiti socium eligeret. Die vigesima secunda Martis MDCCCXV examen primum seu pro Baccalaureatu, die duodecima

Aprilis MDCCCXVII examen ſecundum ſeu rigoroſum ſubii. His peractis invitationem Ill. Pieperi, ut laborum literariorum, quos in ſe ſuscepit, ſocius ſim, ſecutus, Altenburgum me contuli et in hoc munere nunc adhuc perſiſto.

Quae quidem ſpecimina ſingula, cum ille tam praeclare edidiſſet, ut ſuam ſcientiam atque eruditionem egregie probaret, a Gratioſo Medicorum Ordine dignus judicatus eſt, qui ſummis in medicina honoribus condecoraretur. Quorum obtinendorum cauſſa proxime futuro die XVIII. Martii diſſertationem inauguralem a ſe ipſo conſcriptam cui titulum praefecit: *Decas pelvium ſpinarumque deformatarum cum annotationibus nonnullis*, ſine praeſide defendet. Quod ubi factum fuerit, ego pro muneris ad hunc actum mihi demandati auctoritate Clariſſimo Candidato Licentiam impertiam ſummam in medicina dignitatem capeſſendi.

Huic actui ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, CELSISSIMI PRINCIPES, ILLUSTRISSIMI COMITES, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES PRAENOBILISSIMI ATQUE HUMANISSIMI intereſſe ne dedignentur, omni, qua par eſt, obſervantia precor, ac quaevis reciproca ſtudia atque humanitatis officia promtiſſima polliceor.

P. P. Dom. Palmarum MDCCCXVIII.